

42
emulo acerrimo Nicolao de Sancto Albano esse perscriptam
constanter affirmant; qui Epistola ipsi Bernardi nomen ad-
jecerit ad invidiam conflandam. Illud contendo, Bernar-
dum reprehendisse Lugdunenses Canonicos, quod eos pura-
ret Conceptioni libidinosa, qua prima seminum compre-
hensio vocari solet, honorem deferre. Eum, inquit, hono-
rem non probat ratio. Quod enim sanctum non est, coli non
debet. *An forte inter maritales amplexus sanctitas se ipsi Con-
ceptioni immiscuit, ut simul & sanctificata fuerit, & conce-
pta? Aut certe quomodo peccatum non fuit, ubi libido non de-
fuit?* Alteram vero Conceptionem, qua est anima in cor-
pus infusio, non negavit Bernardus fuisse sanctam, & im-
munem peccati. Sed quid attinet ista commemorare, cum
palam sit, in hac eadem Epistola id potissimum contendisse
Bernardum, uti sententiam Apostolicae Sedis Canonici ex-
quirent? sibi certum, fixumque esse tenere, quod illa de-
cerneret. *Romana, inquit, Ecclesiae auctoritati, atque
examine totum hoc, sicut & cetera, quae ejusmodi sunt, uni-
versa refero, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio
emendare.* Ex quibus apparet, Bernardum, si viveret, exec-
raturum impudentes Theologos, qui cum videant Con-
ceptionem naturam, hoc est animae inclusionem in corpus, ob-
jectum jam esse Ecclesiastici cultus, adduci tamen non pos-
sunt, ut eam labis immunem confiteantur. Quid enim?
Bernardus Nativitatem, & Assumptionem Mariae Divinis
esse muneribus exornatam fatetur, quod utramque Romana
veneretur Ecclesia: tu sanctitatem Conceptionis illius, quam
publico honore deferendo jam testatur Ecclesia, incertam
putabis? Atqui Bernardus, qui hanc in dubium vocaret, cum
pessime errare arbitraretur.

XVI. *His praemisissis, inquit auctor libelli, videndum, an
hodie sit necessarium, & expediens definire ex cathedra hujus-
modi Mysterium: cui quaesito negativae respondendum censemus
his nixi argumentis. Necessaria fuerunt definitiones veritatum
ex cathedra, sicut & condemnationes errorum, quando ab he-
reticis*